Treo amico J. Smith

a. m.

DISSERTATIO

HISTORICO-POLITICO-MEDICA

INAUGURALIS.

DISSERTATIO
HISTORICO-POLITICO-MEDICA INAUGURALIS,

DE

RATIONE, QUA MEDICINA, TUM VETERIORI, TUM RECENTIORI TEMPORE, IN CIVITATE GRONINGANA EST FACTITATA,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

BARTHOLDI HENRICI LULOFS,

JUR. UTR. DOCT. IN FACULT. PHIL. AC LITER. HUMAN. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO FACULTATIS EXAMINI
SUBMITTIT

HENRICUS JACOBUS BERGHUIS VAN WOORTMAN,
ex pago Wildervank Groninganus.

A. D. XXI SEPT. MDCCCXXXIX. HORA XII.

GRONINGAE,
Apud J. B. WOLTERS,
Bibliopolam.

MELCHIORI CORSTIUS,

V. D. INTERPRETI IN PAGO *BEERTA*, ET COLLEGIO ADMINISTRANDAE ECCLESIAE PROVINCIAE GRONINGANAE ADSCRIPTO,

VITRICO CARISSIMO, DILECTISSIMO,

NEC NON

Fratri Optimo,

JOHANNI BERGHUIS VAN WOORTMAN,

JUR. UTR. DOCT.

Hanc Dissertationem
pio gratoque animo
sacram facit,

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Studiis Academicis ad metam perductis, hanc rite consequi desideranti, consilium omnino mihi arrisit disserendi de re medico-politica Civitatis Groninganae, et quidem, de ratione, qua Medicina hac in Urbe factitata sit, simili modo, ac Doct. H. NANNINGA*! anno praeterlapso, de Hygieine publica ejusdem Civitatis egit. Aeque ac in illa Dissertatione, sic etiam erat consilium, hic integras addere sermone vernaculo leges urbanas medico-politicas aliaque decreta peculiaria de exercenda re medica, tam veterius, quam recentius promulgata; sed ne nimis, quam par et*

utile esset, opusculum oneraretur, haec omissa sunt, satis, etsi concinne, horum summa exposita et fontibus accurate indicatis, quos quis ulterius, si placeat, consulere queat.

Quae cum de argumento praemittam et ad ipsam Dissertationem respiciam, lubenter fateor auxilium, quod nactus sum, non exiguum, in hoc labore, juvenis viribus facile impari, perficiendo. Quapropter hic vel inprimis defungi me decet pio grati animi officio.

Tibi ergo, Vir Clarissime! S. E. STRATINGH, cujus sub auspiciis et consilio haec Dissertatio est conscripta, quique praeterea tot tantisque mihi largitus es beneficiis, gratissimum obtestor animum!

Nec non omnino me devinctum persentio tibi, Vir Doctissime! G. ACKER STRATINGH, qui me adjuvisti in Dissertationis argumento colligendo et ordinando, et occasionem praebuisti aegrotos visitandi pauperes et tua fruendi familiaritate! Accipe pro hisce benevolentiae testimoniis gratias bene meritas!

Has etiam habeatis velim, quicunque huic rei favueritis! Inprimis Vos, Viri Amplissimi! hujus Civitatis ab actis, pro humanitate in-

—

signi, qua aditum facilem concessistis ad publicas tabulas urbis, huic opusculo componendo lectu necessarias!

Si haec recordor, non immemor tamen sum, nec unquam ero, Viri Clarissimi! quos praeterea Praeceptores habui et colui praestantissimos et dilectissimos in hac alma musarum sede, vestrae institutionis egregiae, summae benevolentiae et optimi favoris, quibus frui mihi contigit! Vos omnes accipite gratias quas habeo maximas; diu adhuc incolumes vivatis in Academiae decus et salutem, sincere opto!

Vobis tandem, Amici carissimi! studiorum praesertim consortibus, valedicere et vota optima offerre mihi juvat! Vivete omnes felices, nec sitis immemores mei, vos nunquam oblituri!



ARGUMENTA.



DISSERTATIO
HISTORICO-POLITICO-MEDICA
INAUGURALIS,

DE

RATIONE, QUA MEDICINA, TUM VETERIORI, TUM RECENTIORI TEMPORE, IN CIVITATE GRONINGANA EST FACTITATA.

CAPUT I.

DE ARTIBUS MEDICIS, HISTORICA RATIONE, GENERATIM ET INVICEM CONSIDERATIS.

De statu rei medicae antiquissimis temporibus in civitate Groningana parum nobis est cognitum. Nec mirum, si attendamus ad medicinae conditionem imperfectissimam et ipsius historiae defectum, ita ut haec de remotissimis temporibus omnino taceat et

dein non nisi sparsa reliquerit vestigia, quibus paullo certiores reddamur. De ratione itaque, qua aevis mediis obscuris et sequentibus ad saeculum usque 15um et ultra, res medica hic sese habuerit, modo pauca in genere dicere licet. Videtur olim medicina a quocunque exercita fuisse, qui hujus rei se peritum aestimaret, aut talis ab aliis aestimaretur, inprimis vero a religiosis, uti monachis, doctrina et fide potioribus, adeo ut hi non solum animi, sed etiam corporis curam revera gererent. Ceterum quisque sui erat medicus, et quid medicina deficiebat, natura forsan tunc pollebat.

Interea sensim sensimque cum majore artium scientiarumque vel et medicarum cultura plures exstitere, qui in academiis scholisve medicis edocti et Medicinae Doctorum titulo ornati, hanc artem ex professo exercuerunt. Tales artis libertate et scientiae dignitate ab omni tempore caeteris artium medicarum cultoribus praecellebant, ita ut nunquam alicui collegio, quod *Gilda* vocabatur, fuerint uniti, quemadmodum de Chirurgis et Pharmacopolis notum est, imo a jure civitatis (*Bur-*

gerregt) petendo diu fuerint immunes. Etenim in lege, anno 1584 a Magistratu Groningano lata, de jure civitatis ab omnibus, qui aliquod negotium in urbe tractabant nec sub Gildis erant, capessendo, nulla Medicorum, etsi quidem Chirurgorum et Pharmacopolarum, Advocatorum etc., fit mentio 1), et non prius quam lege seu norma Medico-Politica, anno 1729 emanata, statutum reperimus, Medicinae Doctori non licere praxin in urbe exercere, nisi jus civitatis petierit. Cum itaque nullis legibus decretisve essent adstricti Medicinae Doctores, hinc etiam explicandum, quare de hisce tam parum antiquitas memoraverit, quin non pateat, tales exstitisse in hac civitate ante aevum 16um, quo Medicos urbanos pauperum offendimus. Academia Groningana, initio saeculi 17mi constituta, cum occasione magis opportuna ansam etiam praebuerit uberiorem medicinae in hac urbe excolendae et exercendae. — Aliter, uti jam notavi, res sese habuit cum Chirurgis.

1) *Stadboek van Groningen van* 1425, Lib. IX, Art. 60, in Oper. Societ. Groninganae *Pro excol. Jur. Patr.* T. V. p. 208.

Hi antiquitus cum Tonsoribus unum idemque effecerunt Collegium (*Chirurgijns en Barbiersgilde*); dum Pharmacopolae, cum Aromatopolis (*Kruideniers*) conjuncti, ad insigne et antiquissimum Mercatorum Collegium, qui ulna et pondere venditabant, (*Kramer* of *Kremer Gilde*) pertinebant. — Ars porro obstetricia feminis solum erat relicta.

Status ille variarum artium medicarum antiquus diu perduravit et fere idem mansit ad Rei Publicae renovationem in fine saeculi praeteriti obortam. At insignis jam locum habuit rei medicae mutatio et emendatio, anno 1728, quo primum normam de Apothecis variisque artibus medicis factitandis, cum Collegio Medico et Pharmacopoea, ad exemplum aliarum civitatum illustrium constituere placuit Senatui Groningano 2). Norma ipsa, aliquomodo mutata, anno sequente 1729, legis medico-politicae urbanae in formam primum promulgata est 3); at mox jam

---

2) *Senatus Decretum*, 11 Jun. 1728.

3) *Senatus Decretum Publicatum* 7 Oct. 1729: *Reglement op de Apothequen en Ordre op de Medicinae Doctoren, Apothequers, Chirurgyns, alsmede de Vroedvrouwen.*

anno 1739 4) mutata et ampliata, et dein, pro vario regiminis supremi forma, iterum renovata est, uti anno 1807 5), sub rege LUDOVICO, et tandem juxta hodiernam Regni constitutionem, quemadmodum nunc continetur in decreto politico urbis anni 1822 6) et adhuc viget, quatenus denuo anno 1828 hic et illic non mutata sit 7).

Ab omni tempore, cujus exstat memoria, in hac urbe, uti in aliis civitatibus, semper singulae artes medicae separatim exerceri solebant. Tali artium singularum separationi suum discrimen ansam quidem dabat, sed contra etiam hoc ita eo majus reddebatur. Quo Ars Medica liberalior et nobilior haberetur, eo magis sese distinxit ab arte Chirurgica et Pharmaceutica, quae ad negotia potius vulgaria numerabantur, Gildis exercita. Quod ita usu invaluit, lege deinceps est sancitum, non solum consuetudi-

---

4) *S. D. P.* 13 Febr. 1739.

5) *S. D. P.* 19 Maj. 1807: *Reglement omtrent het Geneeskundig Toevoorzigt in de stad Groningen.*

6) *S. D. P.* 18 Nov. 1822, Cap. XI: *Over de uitoefening van onderscheidene takken van Geneeskunde.*

7) *S. D. P.* 6 Oct. 1828.

nis, sed etiam utilitatis, imo necessitatis gratia; utilis quippe censebatur separatio Medicinae a Chirurgia, necessaria vero omnino ab utraque artis Pharmaceuticae. Primum hac de re Senatus consultum invenitur anno 1694, quo scilicet Chirurgis interdictum est, medicamenta interna praescribere aut domi praeparare 8). Non verosimile autem est, tunc demum illud vetuisse Senatum, sed potius confirmare voluisse morem antiquum, a quo forsan Chirurgi deflexerant. De arte Pharmaceutica a Practica seorsim exercenda nullum superest dubium, etsi ad tempus major hac in re licentia Medicis fuerit data, quod liti gravi inter eos et Pharmacopolas ansam praebuit. Cum enim anno 1720 Doct. ANTONIUS EDINGH, tunc temporis Medicus celebris hujus urbis 9), de officinarum pharmaceuticarum pessimo statu querelas instituerat coram Senatu et illum rogaverat, domi officinam habere privam, in qua ope provisoris medicamina praeparare sibi licitum foret, Senatus

---

8) *S. D.* 22 Jan. 1694.

9) Anno 1713 in Academia Groningana gradum Med. Doctoris capesserat, defendendo Dissertationem *de Peripneumonia.*

illud ipsi ad tempus concessit, et anno 1728 in lege, de re pharmaceutica concinnata, illud confirmavit, licentia nunc omnibus Medicinae Doctoribus data domi habere apothecam. Mox autem Pharmacopolae conquesti sunt de damno, ex hoc Doctorum privilegio illis illato, quo solus adhuc Doct. EDINGH fruitus esse videtur, cum de hujus Viri apotheca solum lis fuerit, quae diu duravit, non obstante Magistratus difficultatis solutione. Abrogavit nempe privilegium, Medicis datum, et Doct. EDINGH concessit adhuc per anni spatium medicamenta praeparare et exhibere, sed simul jussit, hoc praeterlapso ab hac re se abstinere 10). Secundum hoc decretum ita etiam in lege politico-medica anni 1729 de artibus medicis singulis separate exercendis statuit: Pharmacopolae non licet aegrotos visitare, medicamina praescribere aliave ordinare, nec sine Medici praescripto narcotica, mercurialia, emetica aut purgantia exhibere nec vendere 11). Contra quoque Medicinae Doctori, etsi Pharmaciam docto,

---

10) *S. D.* 21 Febr. 1729.

11) *Reglement op de Apothequen* Art. 10 et *Ordre op de Med Doctoren* etc. Art. 2.

negatum simplicia aut composita clam aut palam vendere nec administrare, eoque minus licitum, quae ipse aut alius praescripserat, remedia praeparare sua aut manu aliena, quod solum Pharmacopolae legitimo competit 12); nec operationes qualescunque chirurgicas instituere, nisi necessitatis ergo, sed quidem Chirurgo consilio suo adstare 13). Ita et Chirurgo prohibitum mala interna curare, medicamenta vendere aut praescribere aliave ratione praxin exercere 14). — Huic legi obtemperare Doct. EDINGH, denuo a Pharmacopolis ad Senatum delatum, frustra hicce iterata vice jussit 15). Nec juvabat decretum, quo anno 1737, juxta consilium Collegii medici, ampliare sibi placuit legis Art. 11 allatum ita, ut, si quis Medicinae Doctor sibi privam haberet alicujus remedii praeparationem, hanc elaborare ipsi liceret, sub ea tamen conditione, ut ingredientia peteret a Pharmacopola admisso 16).

12) *Ordre op de Med. Doct.* etc. Art. 11.

13) Ut supra Art. 4.

14) Ut supra Art. 3.

15) *S. D.* 16 Dec. 1730, 4 Apr. 1737.

16) *S. D.* 6 Mart. 1737.

Doct. EDINGH non desiit quaelibet pharmaca praeparare, donec Senatus, repetitis questibus Collegii Medici permotus, ipsum jusserit a medicaminum praeparatione intra mensis spatium abstinere, data potestate Collegio, praeterlapsa mense, apothecam, juxta suum valorem, Pharmacopolis tradendi 17). Sic tandem haec lis, per decem fere annos protracta, composita est. Nec ita miramur irritos Senatus conatus et perseverantiam Doct. EDINGH, si consideremus, quam molestum esset hunc licentia privandi, antea ipsi data, et quam aegre Doct. EDINGH huic privilegio, non parum lucri ipsi praebenti, valediceret; quibus accedebat auctoritas, qua ille, ob praxin suam numerosam, vel inter proceres urbis, gaudebat.

Juxta haec, sic ordinata, etiam norma de Pharmacopolis etc. anno 1739 ampliata est, ita ut Medicinae Doctoribus non liceret apothecam habere nec medicamina administrare aut praeparare, exceptis tamen nonnullis peculiaribus remediis 18). Sub hisce intelli-

---

17) *S. D.* 28 Nov. 1738.

18) *Reglement op de Apothequen* Art. 16.

genda sunt arcana, quibus antea multum indulgebant, ita ut quisque fere medicus, sat inhumane, suum haberet, quo lucrifaceret, medicamentum 19). In renovato urbano decreto anni 1807 de cura politico-medica itidem sancitum: Artem Medicam,

---

19) Inter haec arcana, quae innotuerunt, nominandae sunt ipsius Doct. EDINGH, de quo sermo est, celebres pilulae stomachicae nervinae, quarum formula sequens est:

℞. Gumm. Ammon. Unc. i
——— Aloës Dr. v.
——— Ass. foet. Unc. i
Olei Succini gtt. cxx.
m. f. pil. gr. i i i
d.

Famam fere Europaeam sibi adscivit Decoctum antivenereum Doct. YVONIS GAUKES, qui eodem ac Doct. EDINGH tempore floruit; scripsit *Introductionem in Praxin Med. et Chirurg. Universalem* Gron. 1727, 8vo., et inter Pharmacopoeae Groninganae Auctores memoratur. Adeo inclaruit illud remedium, ut adhuc hujus aevi initio Pharmacopolae, qui hoc arcanum possidebant, insignes hujus decocti quantitates vel in regiones extraneas, uti Frisiam Orientalem mitterent et venderent, non sine insigni lucro. Formula adhibita varia fuit, forsan propter hujus remedii ab ignaris imitationem. Sequens simplicior hic in nonnullis officinis usitata fuisse videtur.

℞. Rad. Sarsapar. Unc. i i
Coq. s. q. aq. ad col. Unc. xxiv.
add.
Mercur. sublim. corros. gr. i.
M. d. S. omni 3 hor. vasc. parv.

Arcanum constabat ex Merc. subl. corr., quod pharmacopola clam decocto Sarsap. addebat. — Integra vero et genuina formula hujus decocti fuisse videtur, quae invenitur in nonnullis Dispensatoriis inpri-

Chirurgicam et Pharmaceuticam more solito separate exercendas esse, exceptis casibus, qui auxilium flagitarent subitaneum, malisque levibus et secretis; in illis etiam permissum Pharmacopolis remedia administrare, et in hisce, uti antea, Medicinae Doctoribus et Chirurgis medicamina exhibere, imo praeparare,

---

mis Germanicis, uti in *Pharmac. Univ.* Weimar, 1729; *Pharmac. Brunsvic.* 1777; SPIELMANN, *Pharmac. gener.* 1783; SWEDIAUER *Pharmac. Syphill.* Par. 1799 etc.

Haec formula ita erat concinnata:

℞. Rasur. ligni Guajaci Unc. iii
—— —— Sassafr.
—— Chinae
Murcur. nodulo incl.
Antim. crudi —— —— āā Unc. i
Aq. fontan. ℔ xii
Coq. per horas 12 et sub fine
adde Liquirit Unc. ii
d.

Praeclara porro fuerunt sequentia remedia:

Tinct. Antispasmod. Cl. VAN DOEVEREN.

℞. Liq. anod. min. Hoffm. Unc. ii
Tinct. Castor. Dr. vi
Laud. Liq. Sijd. Dr. i ß
m. d.

Pilul. Laxant. Doct. B. BENES.

℞. Mass. Pil. Ruff. Scr. iv
Rad Rhei
Sal. polychr āā Scr. i
Elix. propr. Parac. q. s. u. f. pil. No. 44.
d.

sed ex officina admissa petita (Art. 4). Mansit eadem artium medicarum separatio post Regni Belgici instaurationem, vi legis generalis anni 1818 vetantis, in urbibus, ubi Collegium medicum urbanum resideat, omne artium medicarum exercendarum connubium, excepta arte Obstetricia, cum Chirurgia conjungenda 20); donec recentissime anno 1838 Regi placuerit, tum ad majus disciplinae et artis medicae incrementum, cum ad hujus scientiae dignitatem tuendam, nec non in aegrotantium gratiam, legem dare, votis hodiernis magis adaptatam, qua Medicinae Doctori etiam facultas conceditur artem Chirurgicam et Obstetriciam exercendi, si gradum Doctoratus in iis artibus sive titulum Chirurgi aut Ob-

---

Pil. Laxant. Doct. A. BRIL.

℞. P. Rad. Ipecac. gr. xii
— Scammon. Dr. i
— Rhei Dr. i β
Sal. Polychr. Dr. i
P. Aloës Dr. ii
Cinnab. fact. Dr. i
Sapon. Venet. Dr. iv
Ol. foenic. gtt. vi
Extr. absinth. q. s. ut f. pil. gr. iii
d. — aliaque.

20) *Lex regia* 12 Mart. 1818 Art. 12, 13.

stetricatoris juste capessiverit; non vero in urbibus, ubi Collegium medicum adest urbanum, artem Pharmaceuticam, etsi hanc docto; idque omnino jure merito est vetitum, ad abusus arcendos, qui ex connubio hujus artis cum aliis artibus medicis practicis in aegrotorum damnum profluere possent 21). Ita limites illi, inter varias artes medicas tam diu vindicati, tandem sublati sunt. Cum vero Rex simul perspiceret, si salutares haec lex proferret fructus, omnino necesse esse, ut quantum possit, doctrina titulis responderet, decreto altero ejusdem anni magis difficiliorem et onerosiorem praescripsit examinum normam, quae Medicinae Doctores, simul Doctoratum artis Chirurgiae aut Obstetriciae ambientes, subire oportet.

---

21) *Lex regia* 27 Mart. 1838. Vid *Supplement op de verzameling van Wetten, Besluiten en Reglementen, betrekkelijk de Burgerlijke Geneeskundige dienst in ons Vaderland*, 's Gravenhage 1838, ubi una considerationes, pro et contra hanc legem a legislatoribus prolatae, inveniuntur.

CAPUT II.

DE ARTE CHIRURGICA.

Artium medicarum statu et exercendi ratione in urbe Groninga itaque generatim et invicem consideratis, singulas nunc ulterius pertracturus, sermonis ordini conveniret, ut jam de arte Medica accuratius agerem. Cum vero, ob rationes jam dictas, de illa nihil fere amplius notandum supersit, quod non jam dictum est aut dicendum erit, quando de cura pauperum medica acturus sum, hic de illa silere et statim ad artis Chirurgicae historiam transire licet.

Primam Chirurgi in urbe mentionem reperimus in Codice antiquo Groningano, anno 1425 re-

novato. In hoc Codice, typis expresso aliisque manu scriptis antiquis sub nomine *Binder* occurrit, in aliis etiam manu scriptis recentioribus sub nomine *Meester*, uti vulgo sive *Meester Chirurgyn* quondam dicebatur 22), cum ille titulus etiam aliis viris doctis aut peritis daretur. In Senatus lege jam memorata anni 1584, sanciente, omnibus, qui aliquod negotium in urbe tractarent, nec ad Gildam quamdam pertinerent, jus civitatis esse petendum, inter tales etiam nominantur Tonsores, sub quibus una quoque, uti ex ipsa hac lege ulterius patet, Chirurgi intelliguntur. Simul enim in hac lege, praeter alia, jussum, ut Tonsores et Chirurgi de prima vulnerum ligatione visum repertum fidum scriptum, additis nominibus et cognominibus vulneratorum, vulnerum qualitate et statu etc., statim aut saltem intra triduum Consuli praesidi tradant, sub poena juris civitatis amittendi aliave pro re nata. Hoc praeceptum, ad medicinam

---

22) Vid. hujus Codicis L. III, Art. 33, l. c. p. 58, ubi in fine hujus articuli, de vulneribus capitis aliisque luendis sequentia leguntur: Eñ dit sal de clagher vertughen mit enen raetman of mit twen borgheren de dit gheseen hebben do de *binder* der wonde v̆sochte etc.

forensem pertinens, deinceps saepius renovatum 23) et in ipsa lege urbana medico-politica anni 1807 insertum est (Art. 9), sed postea aliis legibus generalibus, Regno Belgico instaurato, cessavit. Ex dicta lege anni 1584 patet, Tonsores et Chirurgos tunc temporis nondum societatem iniisse. Hoc locum habuit anno 1597, secundum literas hujus Gildae, ni fallor, fundationis testes 24) et continentes normam et privilegia, quibus tunc primum Collegium Tonsorum et Chirurgorum a Magistratu fuit instructum, ad artem suam exercendam. Ita, ut praecipua huc spectantia ex iis afferam, statutum, neminem in hac urbe aut urbis ditione chirurgiam

---

23) Ita in Literis Collegii Chirurgorum et Tonsorum mox memorandis, 17 Sept. 1597; *S. D.* 3 Oct. 1646 et 27 Jan. 1647, in quo jussum, a Chirurgis esse declarandum, an vulnus lethale sit nec ne; *S. D.* 16 Nov. 1667; 14 Dec. 1667; 15 Jan. 1674; 30 Dec. 1678; 12 Nov. 1715; 31 Maj. 1731 etc.

24) Hae scilicet literae, datae die 17 Sept. 1597, continentur una cum literis, anno 1601 die 24 Sept. decretis, in Codice hujus Collegii (*Gilderol* sive *Gildeboek*), qui conservatur inter Manu Scripta in Bibliotheca Academiae Groninganae, et videntur esse apographum literarum Codicis principalis, qui adhuc quidem superstes esse dicitur, sed consulere mihi non licuit. In Tabulis hujus urbis (*Stadsarchief*) literae Codicis Collegii Chirurgorum et Tonsorum non antiquiores adsunt, quam anni 1633.

facturum nec Magistri artis titulum (*Meester*) consecuturum esse, nisi sit ingenuus et civis, apud Magistrum probum artem docuerit per biennium et examen subierit coram Senatore, Medico urbis et Pharmacopola a Senatu hunc in finem nominato, coramque Collegio ipso. Hoc examen ex sequentibus constabat: Primum candidatus rite parare debebat varia Emplastra et Unguenta, uti Emplastrum ad alutam defensivum, et gratiae Dei; Unguentum fuscum, U. anodynum (*Leedestempinge*), U. nutritum et populeum; dein instituere quatuor venaesectiones, sine sequelis noxiis, tumore, inflammatione nec aposthemate, et quidem venae cephalicae, basilicae, medianae et saphenae; et tandem cultrum et forficem tonsorium (*Scheermes* en *Haer schere*) acuere et cudere scalpellum (*Lancet ofte slachvlym*), acumine et acie bonum. In gratiam Chirurgorum jam agyrtis talibusque interdictum, cum suis unguentis aliisque remediis chirurgicis in foro aliisve locis, nisi nundinis solitis nec diutius, quam tres dies, prostare, exceptis Oculistis, Herniotomicis et Lithotomicis, quique membra luxata, distorta curabant et reponebant.

Permissum quidem civibus aliunde petere Chirurgum aut consulere quemdem non examinatum, suo periculo, sed talibus alios curare illicitum foret. — Cetera, quae hisce literis continentur, spectant potius rem familiarem Collegii, quod, uti aliis in locis, Sanctos Martyres COSMUM et DAMIANUM Patronos colebat. — Talia etiam pleraque sunt, quae in literis sequentibus anni 1601 ulterius a Collegio concinnata et a Senatu approbata sunt 25). Notatu digni interea adhuc sunt Articuli, quibus Magistri obligantur, non nisi unum tironem cum uno adjutore mercenario sive famulo domi habere et, pro privilegiis hisce literis sibi concessis, orphanos et ceteros pauperes urbis curare sine remuneratione, nisi remediorum adhibitorum; excepto tamen pestis tempore.

Pluries dein Codex Collegii Chirurgorum et Tonsorum est ampliatus et mutatus, uti anno 1633. In literis tunc datis (obviis in tabulis urbis), praeter mutationes in praeparandis Emplastris et Unguentis a candidatis, additum est, ut hi examinaren-

---

25) Vid. nota praec.

tur de anatomia corporis humani ipsiusque cura et fasciam applicarent huic illive Chirurgorum aegroto. Anno 1638 Senatus repetere debuit vetitum, Tonsores, praeter tironem, alium sibi domi habere et artem docere 26). Anno 1651 ratum habuit, ne alii nec plures examini interessent, quam Senior et Ductores Collegii (*Olderman en Hovelingen van de Gilde*), duo Collegae, unus Medicinae Doctor et unus Pharmacopola a Senatu nominandi, cum Senatore delegato; ne durante examine dulcia (*banket*), herba nicotiana, cerevisia aut vinum praeberentur, sed novo fratri Collegii concessit, tentamine habito, examinatores epulis recipere, hisce vero non nisi patri et fratribus novi socii adesse permisit etc. 27). Hoc decretum, inter tot similia, etiam est testimonium evidens, quam luxuriose proavi nostri talia solemnia celebrare consueverint. Transeo decretum de admissione fratrum anni 1655 28); majoris momenti vero est illud ejusdem anni, quo, numero Chirurgorum

---

26) *S. D.* 26 Maj. 1638.

27) *S. D.* 8 Nov. 1651.

28) *S. D.* 22 Sept. 1655.

forsan nimis increscente, Magistratus cautum habuit, ne in posterum plures quam viginti in urbe admitterentur 29). Taceo de decreto anni 1661, continente praeceptum de eligendis Seniore et Ductoribus Gildae, et quo Tonsores jussi neminem tondere die dominico post horam matutinam octavam, nisi hospitem 30). Anno 1669 Senatui placuit statuere de admissione et examine Chirurgorum, a quolibet, Collegii introitum cupiente, testimonium exhibendum esse, se per duos annos tironem et per quatuor annos (unum duntaxat in hac civitate) Magistri adjutorem probum fuisse, quo facto, illum non scriptis, sed sermone, non per septimanas, sed per tres dies esse examinandum, coram Seniore et Ductoribus et duobus fratribus Collegii et uno Pharmacopola; porro fasciam aegroto esse applicandam, venaesectionem instituendam etc. 31). De Chirurgis, cum profugis religionis causa ex Francia hic advenis, anno 1612 statutum, hos quidem in Collegium esse admitten-

29) *S. D.* 31 Jul. 1655.

30) *S. D.* 5 Jan. 1661.

31) *S. D.* 4 Sept. 1669, elucidatum *S. D.* 14 Maj. 1670.

dos, sed veluti socios extraordinarios esse considerandos, ita ut numerus solitus viginti Magistrorum non augeretur, nec hoc in praejudicio horum liberorum esset 32). Anno 1692 denuo Codex Collegii Chirurgorum ampliatus est 33). Anno 1706 Senatui placuit, hac in re, ad exemplum civitatum plurium insignium, statuere, ab operatoribus nullam operationem notabilem esse instituendam, inscio Senatus praeside 34). Hoc decretum anno 1729 in lege politico-medica ampliatum est hoc modo: nullus operator qualemcunque operationem instituat, nisi consentiat Senatus et illud sciat Collegium medicum et adsint unus aut duo Collegae aliusve rei expers, a Collegio delegatus 35). Iteratum est hoc in eadem lege anni 1739 atque 1807 (Art. 15), dein abrogatum post regiminis hodierni instaurationem, idque lege generali praescriptum: a Chirurgo non, nisi altero praesente vel Medico, operationem graviorem instituendam es-

---

32) *S. D.* 15 Jun. 1682.

33) *S. D.* 8 Aug. 1692.

34) *S. D.* 17 Dec. 1706.

35) *Ordre op de Med. Doct.* etc. Art. 5.

se 36). Sub tali operatore mox memorato antea non ita Chirurgus vulgaris Groninganus, sed potius et inprimis aliunde advenae Dentistae, Oculistae, Herniotomici, Lithotomici similesque intelligendi sunt, qui per urbes itinerantes suam artem factitabant, tales, quales jam a Chirurgis urbanis, Collegii sociis, in horum Codice distinguuntur, qualemque deinceps anno 1709 a Magistratu in pauperum commodum adeptum reperimus. ANDRIES scilicet VAN STRATEN Operator, uti dicitur, Zutphaniae natus, tunc obtulit suam operam ad orphanos et pauperes herniis laborantes curandos, addita singulari conditione, ut sibi venia daretur, in aestate per octo septimanas familiam suam visitandi. Senatus suo proposito annuit et ipsum titulo *Operateur en Breukmeester* et stipendio annuo 100 florenorum honoravit, pro quo pauperes omnes gratuito curaret, fascias ad hernias et medicamenta in aliis malis peculiaribus necessaria procuraret 37). Ita etiam cuidam mercatori, JAN FREERKS dicto, anno 1741

---

36) Decret. Reg. 31 Maj. 1818: *Instructie voor de Heelmeesters in het Koningrijk der Nederl.* Art. 6.

37) *S. D.* 21 Jan. 1709.

veniam dedit, in urbe ejusque dominiis instrumenta, a se inventa, ad difformitates et hernias curandas, libere adhibendi et vendendi, sine juribus Collegii Chirurgici capessendis 38). Aeque ac in aliis urbibus, hic etiam carnifici Chirurgiam facere licuit. Sic anno 1625 famulis carnificis permissum est venam secare, non secus ac famulo viduae fratris Collegii Chirurgici, si Collegium talem artis satis peritum censuisset 39). Anno 1669 Magistro, G. HAVERSTADT dicto, sua prece, munere carnificis civitatis rude donato, permissum est, continuare munus membra luxata, distorta aut fracta curandi, quo sub titulo *Stadsledezetter* fungebatur 40). Dein hanc ob rem etiam monitus est, more Chirurgorum, visa reperta vulnerum tradere 41). Nondum plures transierunt anni, quin carnifices Chirurgiam exercuerint et inprimis in membris reponendis aliisque laesionibus curandis insigni apud credulum vulgus pollebant fama,

---

38) *S. D.* 29 Nov. 1741.

39) *S. D.* 20 Oct. 1625.

40) *S. D.* 2 et 11 Dec. 1669.

41) *S. D.* 9 Apr. 1673.

ita ut non nisi aegre ab hac re sese abstinuerint, quamvis lex politico-medica generalis Reipublicae Batavae anni 1804 jam dudum id jussisset 42). Imo in urbe provinciae Frisiae Leowardia adhuc carnifex emeritus privilegio gaudet fracturas et luxationes simplices reponendi; hoc scilicet privilegium ipsi datum est Magistratus decreto anni 1805 (16 Apr.) et confirmatum decreto Ministri anni 1822 (9 Jan.).

Cum Chirurgia olim solummodo tamquam ars exerceretur, quam unus Chirurgus ab altero discere solebat, inculti hi plerique et scientia fere omni destituti erant. Insignis itaque erat momenti occasio illis data a Medicinae Professoribus hujus Academiae, institutione utendi uberiore, cui Magistratus omnino annuit. Anno scilicet 1716 Senatus, Collegio Chirurgorum id petente, Clar. MUIJCKENS, qui jam per aliquod temporis spatium, in Chirurgorum eorumque discipulorum gratiam, lectiones anatomicas habere inceperat, se-

---

42) *Public. van het Staatsbewind der Bataafs. Republiek*, 20 Maart 1804: *houdende verordeningen omtrent het Geneeskundig Onderzoek en Toevoorzigt.*

creto habito consessu, dedit 200 florenos ex peculio scholastico (ex quo vulgo talia institutionis expensa solvebantur), ipsi clanculum exhibendos, ad duo cadavera in usum harum lectionum sibi procuranda 43). Idem pari ratione concessit anno 1727 Clar. CROESER 44), et anno 1755 Clar. VAN DOEVEREN 45). Dein, anno 1764, pactum iniit cum Clar. CAMPERO, qui, accepta eadem remuneratione, gratis admitteret ad suas lectiones anatomicas Chirurgos eorumque discipulos 46). Idem porro cum Cl. MUNNIKS confirmavit 47), et sic scholas Academiae chirurgicas Chirurgiae discipuli frequentare continuarunt, vel legibus hodiernis coacti, si degant in urbibus Academiis vel Athenaeis praeditis, ibi lectiones vernaculo sermone de Chirurgia etc. habitas audire. Haec institutio magis alma mox etiam fructus tulit salutares. Chirurgia magis magisque a solius artis conditione

---

43) *S. D. S.* 29 Maj. 1716.

44) *S. D. S.* 17 Feb. 1727.

45) *S. D. S.* 30 Jan. 1755.

46) *S. D.* 4 Febr. 1764.

47) *S. D.* 19 Febr. 1774.

viliori ad disciplinae etiam dignitatem evehi incepit. Chirurgi a Tonsoribus separabantur et hisce negotium tondendi omnino relinquebant, aut lucri gratia ope famulorum agere pergebant, uti in nonnullis urbibus, veluti Amstelodami, necdum prorsus in desuetudinem abiit. Chirurgi igitur adhuc quidem manebant Tonsores, sed Tonsores non amplius Chirurgi. Ita inter se separatim jam anno 1779 Tonsores hac in urbe pactum inierunt, etsi adhuc Collegii Chirurgorum socii manerent 48); hoc vero Collegio, cum Gildarum generali abrogatione, dissoluto, Tonsores a Chirurgis omnino separati sunt, et illorum pactum renovatum et approbatum est a Senatu anno 1805, quemadmodum adhuc viget 49).

Attamen, etsi lex Reipublicae Batavae de medicina politica anni 1804 id etiam vetaret, non ab omni parte a Chirurgia tractanda abstinuerunt Tonsores, sed plerique venaesectiones aliasque leviores operationes instituere continuaverunt, consensu Magis-

---

48) *Baardscheerders Compact* 3 Mei 1779, in urbis Tabulis.

49) *S. D.* 8 Oct. 1805.

iratus, qui talibus venaesectoribus, ob Chirurgorum numerum tunc exiguum, urbem non carere posse opinatus est. Secundum hunc Chirurgiae statum jam sequentia de hac facienda continet lex medico-politica urbana anni 1807 praecepta: Cuique Chirurgo licet tot habere discipulos et adjutores (*aides*), quot libet; discipulis vero non aegrotos Magistri nec alios ligare aut curare, nisi Magister aut ipsius adjutor prius illum comitatus fuerit et curandi rationem docuerit; antequam discipulus adjutor fiat, coram Collegio medico urbano probet, se non esse ignarum anatomiae, elementorum Chirurgiae, fasciarum earumque applicandarum, remediorum etc.; quo examine vero excusabuntur illi, qui illud coram alio Collegio subierunt; adjutori, absente Magistro, aegros curare, etiam vulneratos ligare licet, de hisce visa reperta tradituro, non vero nisi nomine et lucro Magistri; ad majus civium commodum nonnullis, a Collegio medico admissis et tributum annuum (*f* 6) solventibus, permittetur venam secare, venaesectorum vero numerus, in Chirurgorum damnum nimis incretus, ad octo vel decem restringetur et hi

tales vicos incolent, uti in commodum civium maxime expediet (Art. 10—16). Ita numerus venaesectorum admissorum, qui anno 1807 erat viginti, pedetentim diminutus est ad decem, non sine difficultate, quia multi Tonsores sine admissione hoc negotium aliudque chirurgicum peragere non desistebant. Increscente numero Chirurgorum, Collegium medicum suasit anno 1818 venaesectores diminuere ad quatuor, quod tamen Magistratus probare haesitavit, et ideo manserunt, donec auctoritate suprema admonitus, in renovata lege urbana de re medica anni 1822 statuerit, nullos venaesectores in posterum fore admittendos (Art. 316), quin ipsum illum articulum anno 1828 deleverit, quoniam lex generalis nullam venaesectorum mentionem faceret 50). Cum vero, hoc non obstante, Tonsores non pauci venam secare non desinerent, denuo questus hac de re a Collegio medico provinciali inprimis moti sunt anno 1835. Collegium attamen medicum urbanum ipseque Magistratus necessarium omnino judicabant certum numerum venaesectorum,

---

50) *S. D. S.* 6 Oct. 1828.

hosce vero non, nisi examine probatos, esse admittendos, dum tironibus Chirurgorum venam secare aeque minus esset permittendum, nisi adstantibus Chirurgis. Hisce auditis, auctoritas suprema tandem rem ita decidit, ut venaesectorum admissio legi, in Regno vigenti, repugnaret, et sin civium commodum illos postularet, non aliter quam sub titulo adjutorum Chirurgorum, horum consensu et tentamine habito coram Collegio medico urbano ad hanc operationem factitandam essent admittendi, ita ut juxta legem Chirurgi responderent de iis omnibus, quae a suis adjutoribus peragerentur. — Hoc jure jam nonnulli venaesectores suo munere funguntur, plures vero absque licentia impune artem suam exercere pergunt. — Ceterum quod de adjutoribus Chirurgorum lege anni 1807 praeceptum est, ratum mansit lege anni 1822.

CAPUT III.

DE CURA MEDICA ET CHIRURGICA PAUPERUM.

Videamus jam seorsum de cura pauperum, tam medica, quam chirurgica, dum utramque apte hic conjungere licet. Quo modo haec sese habuerit vetustis temporibus, non indicari potest, cum nobis deficiant annotationes historicae hac de re. Libri Senatus decretorum hujus civitatis (*Stads Resolutieboeken*) non nisi cum aevo 17mo incipiunt, dum decreta antiquiora non nisi rara supersunt, et libri rationum seu acceptorum et expensorum civitatis (*Stads Rekenboeken*) ante aevum 16um carent et plures dein perditi sunt. Primum Medicum urbanum memoratum invenimus in rationibus anni 1536. An primus fuerit, dubitare

licet, etsi in ratione anteriore, anni 1526 superstite, Medici nulla mentio fiat. Etenim ex sequentium annorum rationibus apparet, hoc munus, quamvis inter officia urbis ordinaria recenseatur, non fuisse perenne, sed prouti res exigeret et occasio faveret, nunc unicum Medicum, jam nullum, interdum etiam duos adfuisse, et modo ad annum aut certum tempus a Senatu nominatos esse, quin, uti anno 1564, a Senatu cum Collegio Juratorum Aedilibusque Gildarum (*Gezworenen en Bouwmeesters van de Gilden*). In literis antiquissimis Collegii Chirurgorum et Tonsorum anni 1597, hunc Medicum urbanum reperimus, examini candidati chirurgiae adstantem. Nam licet hoc anno 1597 nullus Medicus urbanus in rationibus civitatis memoretur nec forsan adfuerit, tamen hunc verbis: »*der stadt Docter*, *onzer stadt Docter*" designari dubio vacat. Dein hunc Medicum urbanum non amplius inter examinatores Chirurgorum offendimus, sed alium ex urbis Medicis. Post annum nimirum 1608 hoc munus cessavisse videtur, nam dehinc non amplius Medicus urbanus in rationibus memoratur. Ratio verosimilis in eo quaerenda est, re-

gimen rei pauperum horumque curae medicae tunc horum provisoribus fuisse demandatum.

Simili ratione ac Medici, Chirurgos adfuisse urbanos non ita liquet. Anno quidem 1556 vel quatuor tales Chirurgos nominatos esse, ex actis Senatus perditis notatum legimus 51), sed in rationibus hujus anni nec aliis, ad saeculum 17um lustratis, Chirurgi urbani mentio fit, nisi anno anteriore 1541 et nonnullis sequentibus 52). Quomodo pauperum cura

---

51) Vid. M. S. in Bibliotheca Acad. Gron. B. ALTINGII continens: *Extracten uit de oudste Resolutien en Ordonnantie-boeken van de stad Groningen, van het jaar* 1555 *tot* 1772; ubi haec notantur ad annum 1556: *Vier Stads Meesters-Chirurgyns aangesteld op* 15 *Emd. Guld. jaarlijks tractement. — Ambt en Eed derzelver, eod.* 11 *April. — Commissie den* 12 *Febr.* 1657 (forsan 1557.) — Dolendum est, libros integros Senatus decretorum non superesse, cum ex decretis allatis etiam certiores redderemur muneris et jurisjurandi horum Chirurgorum.

52) Nomina et honoraria urbis Medicorum et Chirurgorum, quantum innotuerunt, hisce temporibus fuerunt:

1536. *M.* JACOB, *Stadt Medicus;* 30 *Emder guldens* (valoris 22 *Gron. stuivers*).

1541. *Doctor* BERENT KRONENBURG, *Stadt Medicus* sive *Physicus;* 40 *Emder Guld.*

1541—1546. *Mester* COURT, *Stadt Arts* sive *Wundearts* (Chirurgus); 40 *Emd. G.*, ab anno 1541—1543, sed anno 1543—1546 29½ *Emd. G.;* praeterea 1 *schute tourve* (pretii 11 aut 13 *Arens G.*) *ende* 10 *Elle goede Engelsche Lakens* (pretii 10 *Dal.*).

1551—1559 (quo obiit) *Doctor* WILLEM; 10 *Rijders* (*zilv.*).

chirurgica saeculi 17i initio est ordinata, jam ex literis Collegii Tonsorum et Chirurgorum anni 1601 vidimus, quippe qui pro privilegiis confirmatis se obligaverunt, gratuito orphanos et pauperes curare, excepto vero pestis tempore, et sub ea conditione, ut remediorum sumtus sibi restituerentur a provisoribus orphanorum et pauperum. Cum vero in provisorum pauperum libris acceptorum et expensorum anni 1627 et sequentium rationes occurrant, tam Chirurgorum, quam Medicorum, ob datam operam et pro

---

1551—1580 (quo obiit) *Doctor* JOHANNES BUSSINGHE, *Medicus;* ut supra.

1560. Pro *Doctore* WILLEM, *Mester* CORNELIUS MICILLUS, *Medicus;* 20 *Rijders.*

1564—1575 (quo obiit) *Doctor* JOANNES VUST, *Medicus;* ut supra.

1585—1590 (quo obiit) *Doctor* PETRUS DE WEERT, *Stadt Medicus;* 100 *Caroli G. tot* 40 *krumsteren* ($\frac{1}{2}$ *stuiv.*).

1591—1595 (quo obiit) *Doctor Medicinae* BERNARDO TIDINGINO, loco PETRI DE WEERT, *Stadt Medicus en Doctor der Medicijnen;* ut supra et immunis vigiliis et vectigalibus.

1605—1608 *Doctor* NICOLAUS MOLLERIUS, *Stadt Medicus en Doctor der Medicijnen;* ut supra ad summam integram *f* 88-26-4 monetae antiquae.

In rationibus annorum 1526, 1547—1550, 1581—1584, 1595—1604, 1608—1654 etc. *Medicus* nec *Chirurgus* memoratur, dum illae annorum 1527—1535, 1537—1540, 1544—1547 carent.

Num *M.* JOHAN HOLTHUIJS, qui in ratione urbis anni 1552, in capite expensorum variorum, dicitur pro curatione viri, in officio urbis laesi, 2 *ryders* accepisse, vi *S. D.* 25 Febr. 1552, Chirurgus fuerit urbanus, dubium est.

remediis adhibitis, hoc pactum cum Chirurgis non diu duravisse videtur. Memoratu dignum est, in annotationibus manu scriptis, fundationem anno 1660 Orphanotrophii hujus urbis pauperum (*Groene Weeshuis*) spectantibus, legitur, Medicinae Doctorem nempe ANTONIUM BACKHAUS gratuitam obtulisse opem huic domo, nec non Magistrum EBBING LANT Chirurgum suam per decem annos, quod attinet negotium tondendi, emplastra applicandi omnemque, quae flagitaretur, operam chirurgicam, sub hisce conditionibus (iisdem ac antea Chirurgorum), ut remedia sibi solverentur, et si pestis accenderetur in hoc hospitio, excusaretur, propter civium praestantium numerum, quos tractabat, quique illud aegre ferrent. Nec mira talis conditio videri potest, si observemus, ante quatuor annos pestem in civitate grassatam fuisse et post sex annos denuo ibi erupisse 53). — Ceterum hoc aevo diu nul-

---

53) *Dissert. Historico-Medica Inaug. de morbis epidemicis, qui in urbe et regione Groningana tractuque Frisico vicino, a saeculo XIII ad saeculi XVIII finem, grassati sunt, auct.* S. P. POPTA, Gron. 1838, p. 33.

li certi adfuisse videntur Medici et Chirurgi pauperum.

Tandem duo tales Chirurgi pauperum ab horum provisoribus sunt constituti, munere perenni et singuli stipendio *f* 150, sine medicamentorum suppeditatione, quae Pharmacopolis commissa est; dein etiam et quidem, uti videtur, anno 1684, Medicus pauperum. Hoc enim anno de cura medica pauperum, in horum curatorum actis, statutum legitur, a Chirurgis nulla quaerenda esse remedia ex officinis, aut danda Diaconorum sumtibus, sed si aegrotus medela interna indigeret, auxilium invocandum esse Medici, hunc in finem nominati et remunerandi ex tertia parte (*f* 50) stipendii singulorum Chirurgorum, nunc ad *f* 100 diminuti. Anno 1696 Collegium Diaconorum talem Medicum nominavit, qui pro quaque aegroti visitatione 3 *st.* acciperet, et anno 1699 tres Medicos, repetito interdicto Chirurgis, de remediis adhibendis 54); quod

54) Secundum annotationes manu scriptas ad *Onderl. Ordre van Boekhouder en Diaconen in Groningen, opgemaakt uit Raadsresolutien ende anders*, Gron. 1751.

Medicis nondum negatum, cum ex rationibus annorum 1698, 1713 et nonnullis sequentibus pateat, haec a Doct. BRUCHERO et DOEDENS praebita fuisse. Sic increvit numerus Medicorum prae Chirurgis, ita ut illorum vulgo tres vel duo adfuerint, his ad unum alterumve reductis. Variavit enim Medicorum et Chirurgorum, curam pauperum gerentium, numerus pro vario tempore. Durantibus epidemiis plures saepe adfuerunt, publicis urbis sumtibus tunc constituti, quos alias ferebat administratio pauperum, excepto temporis intervallo, quo pauperum alendorum sumtus urbs ipsa susceperat. De cura medica extraordinaria, ab urbis Magistratu habita, tam praeterita, quam nostra aetas praebet testimonia. Sic, ut id addam, anno 1664 Senatus decrevit, ut cum uno alterove Chirurgo conveniretur, qui aptis conditionibus suam opem ferrent in peste, quae tunc in locis vicinis grassabatur et revera anno 1666 quoque hanc urbem infestavit 55). Taceo ceterum de cura medica publica, in recentioribus epidemiis, inprimis pau-

---

55) *S. D.* 24 Oct. 1664.

perum habita, uti durante calamitate anni 1826, et Cholera Asiatica posthac grassata; haec praeterea satis nota in memoriam revocare, vetat propositi ratio. Taceo ideo etiam de Nosocomiis aut Hospitiis, ad aegros sanandos aut senes debilesque egenos alendos etc., fundatis, cum haec potius ad Topographiam urbis medicam pertineant.

CAPUT IV.

DE ARTE OBSTETRICIA.

Quemadmodum ars medica et chirurgica a cognitis temporibus erant sejunctae et seorsim factitabantur, ita quoque locum habebat cum arte Obstetricia, quam Medici nec Chirurgi, sed Obstetrices olim solummodo exercuerunt. Hae faeminae *sapientes* sive *prudentes* vulgo nuncupabantur, vernaculo sermone *wijze* sive etiam *booze vrouwen;* nec adhuc obsolevit titulus, idem ac *vroed* significans. Non prius mentio de Obstetricibus in actis publicis civitatis facta offenditur, quam anno 1623, quando ad tempus Obstetrix urbis est nominata, mercedem annuam

100 *daalders* meritura, et paullo post anno 1626 ordinaria est creata ad mercedem 100 *rijksdaalders* 56). — Omnes Obstetrices hujus urbis spectabat decretum Senatus anni 1669, quo illas jussit exacte inquirere in nomina et domicilia earum, quae nothos pepererunt, et haec cum Praeside Senatus communicare, sub poena mulctae, imo, ut dein statutum, sub poena muneris amissionis 57). Anno 1722 praeterea Obstetricibus praeceptum, ut ipso vespertino tempore diei, quo foemina quaecunque nothum fuerit praegnata, illud cum verbi Divini Ministro vici communicent 58). Utrumque decretum ampliatum et publicatum est anno 1761, nunc jubens, Obstetrices admissas statim intra 24 horas certiores reddere de partu nothi, per literas, nomen et domicilium puerperae ut et viri, pro patre ab ipsa habiti, continentes, tam Praesidem Senatus, quam verbi sacri Ministrum vici 59). Id vero anno 1802 ita mutatum

---

56) *S. D.* 22 Jun. 1623; *S. D.* 23 Sept. 1626.

57) *S. D.* 7 Aug. 1669 et 27 Jan. 1687.

58) *S. D.* 8 Dec. 1722.

59) *S. D. P.* 16 Dec. 1761.

est, ut Obstetrices soli Praesidi Senatus deferre jussae sint partus nothorum 60). Idem in lege politico-medica anni 1807 tam Obstetricatoribus quam Obstetricibus praescriptum (Art. 17), et quoque in lege anni 1822, cum hac mutatione, ut id non Praesidi, sed Praeturae (*Bureau van Politie*) nunciarent (Art. 314). Haec delatio nothorum olim inprimis inserviit ad delictum meretricii, concubinatus et adulterii detegendum et puniendum. Qui a praegnante pro patre infantis declarabatur, is etiam jure talis et itaque reus habebatur. Secundum jus antiquius pater ita designatus infantem sustentare debebat. In vetusto scilicet jure ecclesiastico (*Syndrecht*), quod Groningae et in Drenthia viguit et adhuc prostat in charta manu scripta anni 1322, legitur: »Si mulier pregnans non haberet certum patrem, ille, cui ipsa in partu sub testimonio dominarum ad se vocatarum puerum assignaret, alere tenetur 61). — Cum jam dudum haec jura pa-

---

60) *S. D.* 28 Apr. 1802.

61) DRIESSEN, *Monum. Gron.* I. p. 115 seqq., et Annot. ad Codic. urbanum anni 1425, in oper. Soc. Gron. *P. E. J. P.* T. V. p. 281. seqq.

tria sint obsoleta, imo hodie patris infantis, ex coitu illicito nati, nulla amplius ratio habeatur, hujusmodi delatio nunc non nisi matres infelices, cum prole sibi relictas, spectare potest. — Sed redeam ad aevum 17um, ne a via divertam.

Nondum offendimus, Obstetrices examini ulli subjectas fuisse. Anno autem 1693 placuit Senatui statuere, ut Obstetrices, quae munus Obstretricis urbanae, tunc vacuum, ambierent, a Medico et Chirurgo examinarentur 62). Hoc decretum salutare mox, anno sequente 1694, ita est ampliatum, ut nulla Obstetrix in futurum admitteretur, nisi prius examine se omnino artis peritam probaret 63). — Morum magis, quam puerperarum gratia, Senatus consultum latum fuisse videtur, quo, anno 1710, Obstetrices sub mulctae poena ordinatae sunt ad Praesidem Senatus deferre, si apud puerperam plures affines aut vicinae invitarentur, quam lege, hac de re tunc a Magistratu promulgata, erat permissum 64). Eodem anno

---

62) *S. D.* 16 Dec. 1693.

63) *S. D.* 15 Jan. 1694, ampliatum 29 Oct. 1722.

64) *S. D.* 25 Sept. 1710.

etiam Obstetrices, sub mulctae poena, jussae sunt pauperibus gratuitam opem ferre, nec illas ab una ad alteram referre 65) — imo, uti postea, anno 1732, additum est, si Obstetrix, parturienti adstans, ad alteram vocetur, aliam Obstetricem mittendam esse, sub poena mulctae severioris 66). Sic jam pervenimus ad leges politico-medicas annorum 1729 et 1739. In hisce de arte Obstetricia statutum: Nulla foemina hanc artem factitabit, nisi subierit examen coram Medicinae Professore et Doctore, praesente Senatore ex Collegio medico (Art. 6), cui examini, secundum decretum anni 1738 67), semper Obstetrices urbis adesse debebant, ut inquirere possent in candidatorum peritiam; ad periculum omne avertendum, quod ex Obstetricum inscitia aut praecipitatione profluere posset, nullum aliquod remedium internum gravidis aut parturientibus morbove laborantibus propria auctoritate pro-

---

65) *S. D.* 10 Nov. 1710.

66) *S. D.* 8 Aug. 1732.

67) *S. D.* 12 Jan. 1738.

pinabunt, nec clysma administrabunt, aut quodcunque foetum aut placentam expellendi aut contra partum retardandi dabunt, nisi habeant remedium peculiare, sed hoc quoque non nisi aegrotae Medici consilio et consensu (Art. 7).

Hocce tempore nulla aderat institutio artis Obstetriciae publica; Obstetrices hanc qualemcunque artem suas alumnas docebant. Cum vero ex Senatus consulto anni 1764 Physicus urbis crearetur Clar. VAN DOEVEREN, huic primum mandatum est, Obstetrices earumque alumnas instituere 68), et dein anno 1766 norma lectionum de arte Obstetricia est concinnata, qua omnes urbis Obstetrices et harum alumnae hasce frequentare tenebantur 69). Ab eo inde tempore hae lectiones ita omni mense habebantur ad annum 1801; sed tunc institutio alumnarum, quae hucusque penes Obstetricibus manserat, etiam Physico, id suadenti, committebatur, et cum sua institutione conjungebatur Ob-

68) *S. D.* 4 Febr. 1764.

69) *Ordre op de Vroedkundige lessen*, 13 Febr. 1766.

stetricis urbanae munus, quod jam vacabat et fere inutile evaderat, etsi jam per aliquot annos duae adessent Obstetrices urbanae, et tales nuper (1796) iterum fuissent nominatae 70). Norma nunc de institutione Obstetricia juxta haec renovata est 71), et de hac stabilitum, ut per duos annos vigeret, quibus praeterlapsis, Physicus Magistratum certiorem redderet, de Instituti statu, alumnarum progressibus, et num et quid hac in re foret mutandum. Cum itaque anno 1804 ex Physici literis Magistratus intelligeret, institutionem alumnarum non optatos ferre fructus, duasque Obstetrices urbanas cum Instituto conjungendas esse, votis hisce annuit, et denuo normam de institutione Obstetricia secundum haec ampliavit 72). Cum vero ita floreret Institutum hoc egregium, durante dominatione Francica iterum sublatum est, non sine insigni

---

70) *S. D.* 27 Mart. 1765, 4 Apr. 1765, 23 Jun. 1774 et *D. Munic.* 3 Aug. 1796.

71) *Ordre opzichtelijk het Onderwijs in de Vroedkunde*, 17 Aug. 1801.

72) *Ordre* etc., 16 Maart 1804. Vid. et *S. D.* 5 Aug. 1805.

damno, cum mox Obstetricum probe instructarum penuria sentiretur. Haec magis magisque increscens Collegium medicum urbanum anno 1817 permovit, hac de re querelas instituere coram Magistratu urbano et Instituti instaurationem petere. Magistratus hujus Instituti praestantia et utilitate convictus, illud mox eodem anno restituit et eidem Institutori viro Doct. M. J. BUSCH, jam de hac re tantopere merito, mandavit, sub titulo *Instituteur van het Instituut tot vroedkundig onderwijs in Groningen* 73), simulque normam institutionis renovavit, uti et deinde factum est anno 1830 74). — Sic denuo floruit et adhuc floret hoc Institutum sub Institutore novo, qui priori, nondum cum vita munere defuncto, sed ob senectutem, jam adjunctus, successit, scilicet avunculo majori suo meritissimo J. BAART DE LA FAILLE, tunc Medicinae et Artis obstetriciae Doctor, nunc in hac Academia Medi-

---

73) *S. D.* 17 Nov. 1817.

74) *Reglement op het Vroedkundig Onderwijs in de Stad Groningen*, 4 Dec. 1817, et 3 Mei 1830.

cinae Professor, Vir in arte Obstetricia docenda et factitanda peritissimus, qui huic muneri, valde momentoso, omnibus viribus operam dare pergit.

Historiam hujus Instituti Obstetricii paullo amplius enarrare non abs re duxi, quia unicum est in hac urbe hujusmodi publicum Institutum medicum, quod sumtibus et Magistratus auctoritate est constitutum, et hujus tutela paterna adeo gaudet et meretur, non minus quam laude et fama, quam nactus est, haud mediocri, ob eximios quos tulit fructus. Quamplurimas enim haec schola aluit obstetrices peritissimas et expertissimas, ita ut non solum in hac urbe et provincia, sed etiam extra prae aliis vocari soleant, ad artem utilem suam factitandam 75).

Ad artem Obstetriciam etiam pertinet lex, quae jubet, gravidis aut praegnantibus mortuis, infantem, si possit, conservare sectione Caesarea. Haec

---

75) Vid. etiam de hoc Instituto H. O. FEITH, *Aanteek. op de Redevoering enz. uitgesproken bij het 25jarig feest van het Departement Groningen tot Nut van 't Algemeen*, *den 8sten Jan.* 1819, bl. 208.

lex, *Regia* antiquitus dicta, quoniam a NUMA POMPILIO aliove Rege Romano jam emanata fuisse feratur, postea in omnes fere Codices translata est et tanta religione observata, ut vel sacerdotes, si res urgeret, illam operationem instituere deberent. Favebat olim huic accuratae legis observantiae omnino opinio ecclesiae Romanae, non natos et neonatos, baptismo sacro non usos, beatitudine aeterna non fruituros esse, quamobrem etiam tales in ecclesiis aut cimeteriis sacris sepelire erat vetitum. Antea itaque magis ad forum ecclesiasticum, quam civile pertinebat haec lex; quare in Codicibus antiquis nostris juris civilis hujus legis etiam nulla fit mentio, et, Ecclesiae Romanae potestate in hisce oris sublata, lex in desuetudinem abiisse videtur. Haec negligentia saltem Collegium medicum impulit, ut Magistratum attentum redderet ad hanc rem. Sic de infante nondum nato, matre mortua, servando hic prima lex lata est anno 1767, Collegii medici prece et consilio 76); et huic vel in primis manda-

---

76) *S. D. P.* 25 Maj. 1767

tum est hanc tueri, ita, ut, juxta normam politico-medicam anni 1807 (Art. 29), omnes Medicos, Chirurgos ejusque adjutores, Obstetricatores, et Obstetrices, cum inscriberentur in tabulis Collegii, certiores reddere oporteret de hac lege; quae dein in norma politico-medica anni 1822, mutatis quibusdam, est inserta (Art. 309—313).

CAPUT V.

DE ARTE PHARMACEUTICA.

Quemadmodum jam initio dixi, Pharmacopolae cum Aromatopolis, aeque ac Chirurgi cum Tonsoribus, antiquitus erant conjuncti et pertinebant ad Gildam generalem Mercatorum. Hi primum anno 1362 societatem inierunt, secundum literas fundationis testes, adhuc superstites 77); Pharmacopolae vero cum Aromatopolis serius huic accesserunt — quo tempore non liquet. Ex Senatus edicto allato anni 1584 idem, ac de Chirurgorum et Tonsorum consortio (p. 15), concludi posset, illud eo tempore nondum

77) DRIESSEN, *Mon. Gron.* II, p. 234.

locum habuisse, nisi potius in decreto anni 1644 confirmaretur, illos jam per 200 annos cum Mercatoribus una Gilda fuisse comprehensos. Hoc scilicet anno Pharmacopolae et Aromatapolae petierunt a Senatu, ut a Mercatoribus separarentur. Id vero non concessit Senatus, sed decrevit, illos cum hisce conjunctos mansuros esse, quemadmodum jam per annos 200 sociati fuerant, et controversiam, inter partes obortam, ita composuit, ut statueret, hoc anno Seniorem et alterum Ductorem e Pharmacopolis et Aromatopolis, et alterum Ductorem e Mercatoribus esse eligendos 78). Anno porro sequente omnino reconciliatae sunt, facto inter se pacto, quod Senatus approbavit 79), qui et anno proximo Codicem Gildae Mercatorum ampliavit, quod attinet ad Pharmacopolas et Aromatopolas 80). Ita semper Pharmacopolae cum Mercatoribus societatem coluerunt, usque ad generalem Gildarum dissolutionem, in aevi praeteriti fine. Plerique hinc Pharmacopolae olim non solum simul

78) *S. D.* 29 Jan. 1644.

79) *S. D.* 26 Jul. 1645.

80) *S. D.* 31 Jan. 1646.

fuerunt Aromatopolae, sed etiam aliam mercaturam simileve negotium egerunt, uti vel in aevo praecedente nonnullos inter illos simul adhuc cupedinarios fuisse, satis notum est. Hinc explicatur insignis Pharmacopolarum numerus, qui tantus in hac urbe fuisse dicitur, ut aevi 17[i] fine et initio 18[i] centum aequavisset, et in quovis vico vel pauperum apothecae adessent, etsi vero certe hoc nomine vix mererentur. Pessimus quippe harum officinarum status, uti jam notavi, anno 1720 Doct. EDINGH impulit, de hoc querelas ad Magistratum urbis facere, asserentem, ob numerum Pharmacopolarum pharmaca tam male praeparari et ob vetustatem et pravam conservandi rationem tam inertia esse, ut hisce fidem habere nequaquam posset, et idcirco Senatum rogare domi officinam habere, in qua provisoris ope medicamina praeparare sibi licitum foret. Cui liti inter Doct. EDINGH et Pharmacopolas hoc privilegium ipsi concessum ansam dederit et quomodo tandem illa composita fuerit, jam narravi (p. 6); hic vero adnotandum est, hunc officinarum pharmaceuticarum statum pravum vel etiam Magistratum commovisse ad ordinandam normam de Phar-

macopolis etc., ad creandum Collegium medicum et concinnandam Pharmacopoeam Groninganam, uti anno 1728 decretum esse supra attuli. Eodem Senatus consulto, quo haec norma approbata et Collegium medicum creatum est, Viri etiam nominati sunt ad Pharmacopoeam componendam, quae anno sequente 1729, aeque ac norma praedicta, publici juris facta est 81). Ad hunc vitiosum apothecarum statum emendandum inprimis harum numerum diminuendum esse judicavit Senatus, et hunc in finem statuit: Non plures erunt Apothecarii, quam octo; in quovis vico (*kluft*) urbis duo, et ideo ad hunc numerum emorituri sunt, nisi viduae et filii apothecam continuare vellent, quod permissum, ope famuli periti; omnes Pharmacopolae examinabuntur, coram Collegio medico, de Pharmacopoea Groningana, juxta quam officinae sunt adornandae, etsi quoque alia medicamenta, quam in hac Pharmacapoea prae-

---

81) Secundum *S. D.* hi Viri erant Cl. CROESER et Viri Doct. GAUKES, SWYGHUIZEN et EDINGH, quorum duos priores etiam in Collegio medico nominatos offendemus; secundum autem Praefationem Cl. CROESER, haec Pharmacopoea composita videtur, ope Collegii medici et praecipuorum Medicorum urbis.

scribantur, praeparare et vendere licitum erit; nemo praeter Doctores medicinae et Pharmacopolas ulla remedia simplicia miscebit et ita vendet, nec medicamina composita aegris administrabit; medicamenta juxta formulas, in Pharmacopoea indicatas, rite praeparentur et talia vendantur et exhibeantur, ita ut nulla composita, in Pharmacopoea praescripta, aliunde quaerantur et vendantur — nisi Collegii medici approbatione; huic Collegio, quantoties placeat, officinas visitare licebit, sed praeterea illud bis per annum tempore statuto locum habebit; nullis advenis licebit simplicia ullo modo vendere nec ipsis Pharmacopolis, sed hi simplicia sua ex officinis mercatorum aut aliunde petant, nisi priores pharmaca sua antea Collegii medici examini submiserint; Pharmacopolae accuratissime secundum formulas remedia praeparent, nec quid pro quo tradant aut mutent, sin etiam Medicus aliquod medicamen praescriberet, minus usitatum, nec in Pharmacopoea obvium, aut propter anni tempus non exhibendum, Medico inscio; nulla formula ab uxore, liberis aut ancilla aliove praeparetur, excepto filio experte ut et famu-

lo 82). — De illis Articulis, in quibus Pharmacopolis medicinam facere et medicamina administrare aut exhibere fortiora vetitum est, jam Cap. I locutus sum.

In renovata norma politico-medica anni 1739 idem statutum de numero Pharmacopolarum, qui tunc erant 14, diminuendo ad 8, uti jam anno praecedente Senatus decreverat 83), determinato eo magis viduarum et filiorum relictorum de suis apothecis continuandis jure (Art. 1-5). De examine coram Collegio medico id accuratius expressum est, ut candidatos oporteat intelligere Pharmacopoeam, linguae latinae non esse ignaros et cognoscere simplicia et composita (Art. 6). — Cetera eadem, praeter additcs nonnullos Articulos de Pharmacopolarum famulis, in Collegii medici tabulis inscribendis etc. (Art. 19—22); de quibus famulis postea anno 1782 norma nova de industria est decreta 84).

Ita numerus Pharmacopolarum ad finem hujus saeculi mansit limitatus. Ast rerum politicarum immutatio tunc insecuta occasionem dedit, non infruc-

82) *Reglement op de Apothequen* etc. 7 Oct. 1729, Art. 1—10.
83) *S. D.* 28 Nov. 1738.
84) *S. D.* 14 Febr. 1782.

tuosam hanc legem infringendi, adeo ut adhuc tres apothecae sint admissae, Magistratu et Collegio medico frustra repugnantibus 85). Tanti vero habuerunt suum placitum, ut nihilominus, quantum posset, contra novos violatores illud tueri non desinerent, imo, norma politico-medica nova redacta anno 1807, confirmarent, statuendo, numerum undecim apothecarum jam admissarum denuo ad octo reducendum esse, ita ut apothecae tres nuper admissae, sub iisdem conditionibus, ac antea valuerant, cum harum possessorum morte cessarent (Art. 21 et 22). Cum id autem omnino aegre ferrent novi Pharmacopolae et horum Articulorum abrogationem peterent a Provinciae tunc temporis Gubernatore, gravis denuo lis exorta est. Magistratus nimirum et Collegium medicum utilitatem, imo et necessitatem legis a se latae strenue contra illos defenderunt, sequentibus inprimis argumentis. Metuendum nempe esse, ne,

---

85) Vid. de hac re *S. D.* 19 Oct. 1798 et 24 Nov. 1798, continentes considerationes Collegii medici, de rationibus, ob quas numerus apothecarum octo sit statutus, de incommodis et noxiis in salutem publicam redundaturis, sin numerus iste non limitaretur etc. Porro *S. D.* 30 Nov. 1798, 11 Jun. 1801, 8 Jul. 1802, et Acta M. S. Collegii medici horum annorum.

libera data licentia et sic officinarum pharmaceuticarum numero nimis increscente, hae rursus depravarentur, et ad pristinum statum pessimum delaberentur, qualis ante harum limitationem et hujus causa fuerat; contra experientiam demonstravisse coercitionem talem omnino salutarem esse, cum in hac urbe Pharmacopolae non solum medicamina bonae notae, sed etiam vilioris pretii, quam aliis in urbibus exhibere possent; eandem legem vigere Hagae-Comitum, regiminis supremi sede, et in aliis locis extraneis, eodem cum emolumento; conquerentium admissionem niti legibus generalibus, tunc vigentibus, sed, secundum legem politico-medicam recentiorem 86), penes etiam Magistratibus esse in suis civitatibus placita statuere de re politico-medica etc.

Verumtamen haec quaestio rursus diremta est in favorem usurpatorum, ita nempe, ut de horum jure ulterius decerneretur, sed interea lex ipsa contra eos vi sua careret 87). Haec porro adhuc diu vindi-

---

86) Lex nempe cit. Reipublicae Bat. 20 Mart. 1804, Art. 27 et 28.

87) *S. D.* 13 Aug. 1807 et 15 Dec. 1808, et Acta M. S. Collegii medici ad hosve annos.

cata fuit contra iteratas aliorum Pharmacopolarum petitiones, donec anno 1814 denuo eluderetur, et numerus Pharmacopolarum augeretur ad quatuordecim, quorum omnium consilio, anno 1815, rursus statutum, hunc numerum non superaturum iri. Sic etiam stabilitum est in renovata norma politico-medica anni 1822, attamen non duravit, cum lex iterum violareretur, et, nunc frustra vindicata, tandem vi decreti Regii anni 1825 (28 Apr.) omnino abolita sit, veluti contraria legibus generalibus de libera alicujus negotii agendi facultate 88). — Hac libertate nunc ad officinas pharmaceuticas extensa, hae mox numero valde increverunt, quod, ut in civium damnum non sit, quisque mecum sine dubio sperat.

Ut jam historiam de re pharmaceutica obsolvam, redeundum est ad normam politico-medicam anni 1807, ex qua adhuc notarc superest, de tironibus pharmaciae tunc fuisse statutum, ut, antequam famuli titulo adipiscerentur, tentamine coram Colle-

---

88) *S. D. P.* 13 Jun. 1825.

gio medico probarent, se linguae latinae, medicaminum, formularum praeparationis etc. satis esse gnaros (Art. 23—26). Porro nemini concessa medicaminum venditio, uti et annunciatio in diariis vetita est, nisi Pharmacopolis admissis, quibus etiam pharmacorum simplicium Venditores (*Droogisten*) comprehendebantur (Art. 27 et 28), juxta scilicet Pharmacopoeam Batavam, quae anno 1806 erat introducta. Cum numerus accrescens talium Venditorum in apothecarum detrimentum esse videretur Collegio medico, illos hujus consilio ad tres reducere decrevit Magistratus anno 1816 89). Hisce quartus admittebatur, ob rationes peculiares, anno 1821, et nunc in norma politico-medica anni 1822 sancitum, non plures quam quatuor futuros esse, additis iisdem conditionibus in gratiam viduarum etc., ac Pharmacopolis concessae erant (Art. 302 et 303). Verum hi Articuli eodem decreto Regio, ac supra de hisce dixi, abrogati sunt. — Ceterum in ultima hac norma politico-medica idem confirmatum de tironibus et famulis

---

89) *S. D. P.* 29 Jul. 1816.

Pharmacopolarum (Art. 300 et 301) idemque vetitum de venditione medicaminum ac in norma praecedente (Art. 304); accessit vero monitum, nemini praeter Pharmacopolas licere, vi legis provincialis, 13 Sept. 1820 latae, medicamina, venena et narcotica vendere (Art. 305), quemadmodum jam pridem anno 1806 Magistratus contra agyrtas aliosve medicinam, praesertim in nundinis, illicite facientes, edictum publicavit 90); quibus vero interdictis iteratis non obstantibus, quantum hac in re clam et palam adhuc peccetur, non est quod moneam.

---

90) *S. D. P.* 8 Sept. 1806.

CAPUT VI.

DE COLLEGIO MEDICO.

De hujus Collegii origine et creatione anno 1728 eodem Senatus consulto, ac primum normam de re medica fuice constitutam, jam dixi (p. 4). Viri, quos primos ad hoc Collegium formandum nominavit Senatus, et hic memoratu dignos censeo, fuerunt Vir Ampl. P. LAMAN, Clar. J. H. CROESER, Doct. YVO GAUKES et Pharmacopolae E. STRATINGH et G. BUNINGH. Collegium sic initio constabat ex Senatore natu maximo 91), Professore Medicinae hujus Academiae, Medicinae Doctore aetate

91) Nempe ex Senatoribus continuantibus ad annum 1739, tunc ex toto Senatu et dein rursus, secundum *S. D.* 7 Apr. 1775, ex Senatoribus continuantibus.

maximo, morte sua, a Medico, qui praxin diutissime in urbe egerat, ad tempus succedendo, et duobus Pharmacopolis, a Senatu nominandis. Postea Collegarum numero anno 1736 accessit Senior Collegii Chirurgici 92), aut, uti sequente anno statutum, si casu quo non adesse posset, illius loco Ductor major natu et sic porro, pro hoc, Ductor minor natu 93); dein anno 1754 in Collegium etiam vocare Senatui visum est alterum Medicinae Professorem, ita vero, ut utriusque modo is assideret, ad cujus disciplinam praesertim pertineret res agenda 94); et tandem anno 1774 Physicus urbis Collegio adscriptus est 95). — Sede vacua in Collegio, a Senatu novus assessor eligebatur 96). Anno 1737 statuit, acta Collegii in tabulis esse notanda, penes Collega natu maximo servandis 97). Haec vero acta scripta aliaque

---

99) *S. D.* 6 Mart. 1736.

93) *S. D.* 7 Dec. 1737.

94) *S. D.* 7 Aug. et 5 Nov. 1754.

95) *S. D.* 22 Febr. 1774.

96) *S. D.* 18 Nov. 1737, 10 Jan. 1764.

97) *S. D.* 6 Mart. 1737, simul statutum, ut Collegium primo die mercurii cujusvis mensis conveniret.

Collegii medici documenta ad ipsius mutationem anno 1806 perdita sunt — quo modo illud factum est, plane latet. Illud autem omnino dolendum est, cum ex hisce certiores redderemur de antiquiore medicinae statu aliisque rebus scitu dignissimis, veluti morbis epidemicis hac in urbe grassatis.

Huic Collegio medico, vi legis politico-medicae, anno 1729 publicatae, generatim mandata erat cura rei medicae in urbe et urbis Jurisdictionibus gerenda; inprimis vero ad suum munus pertinebat, diplomata Medicinae Doctorum explorare, Pharmacopolas et Obstetriciam artem exercentes examinare, illorum officinas visitare, ut et medicamenta aliunde venum exhibita. Chirurgos in Jurisdictionibus urbis habitantes etiam examinabat, urbanos vero Collegium, uti vidimus, Chirurgicum; horum tamen operationibus adstare debebat Collegium. In lege anni 1739 additum mandatum in actis inserendi nomina Medicinae Doctorum, Pharmacopolarum, eorumque tironum.

Ita Collegium medicum perstitit ad annum 1806, quo, regnante LUDOVICO, vi legis Reipublicae Batavae anni 1804, normam generalem de rebus et Col-

legiis medicis in Patria praescribentis (Art. inprimis 27), mutatum est in Collegium, quod titulum dein habuit: *Stedelijke Commissie van Geneeskundig Toevoorzigt* 98), et ex sex Collegis ordinariis, ex Medicinae Professoribus, Doctoribus, Chirurgis, et Pharmaceuticis eligendis, instauratum est a Magistratu urbano, quemadmodum hoc numero talibusque Collegis adhuc constat 99).

Cum jam simul Collegium provinciale esset creatum, cui totius Provinciae cura summa rei medicae a regimine supremo fuit commissa, cum examine Chirurgorum, Pharmacopolarum et Obstetricantium, dein modo Collegio urbano mandatum est munus examinandi Chirurgorum adjutores (*aides*), Pharmacopolarum famulos, admittendi Venaesectores et pharmacorum simplicium Venditores, visitandi hosce ut et Pharmacopolas et Chirurgos, et omnes suis tabulis inscribendi, quicunque artem quamdam medicam in urbe et urbis Jurisdictionibus factitare vellent, ex-

---

98) *S. D.* 9 Maj. 1806.

99) *S. D.* 14 Aug. 1806. — Conf. de hoc Collegio medico Annot. H. O. FEITH ad opusc. cit. p. 207.

hibitis testimoniis, se jure civitatis et artis faciendae licentia instructos esse, veluti illud praescriptum est lege medico-politica anni 1807 (Art. 1—3). Collegium idem mansit sub dominatione Francica 100), et confirmatum est instauratione Regni Belgici 101), uti cetera Collegia urbana, sub titulo: *Plaatselijke Commissie van Geneeskundig Toevoorzigt*, et muneris norma nova, in legibus de re medica per totum regnum anno 1818 latis, ulterius instructum est 102). In lege jam politico-medica urbana, ideo etiam renovata, anni 1822, idem quidem Collegio medico officium inscribendi, examinandi, visitandi etc., quos supra indicavi, est mandatum; foro autem omni et emolumentis inde profluentibus, quibus antea usum erat Collegium, privatum est — quin postea quoque inter alia, quae in hac norma politico-medica abrogata sunt, quia legibus generalibus repugnabant, Collegio demta sunt emolumenta,

---

100) *Decret. Imper.* 18 Oct. 1810, Art. 215.

101) *S D. P.* 16 Aug. 1814, secundum *Edictum Reg.* 29 Jun. 1814, no. 72.

102) 22 Mart. et 31 Maj. 1818.

quae pro dicta inscriptione in suis tabulis, pro visitatione aliove labore accipere solebat. Porro, dum in norma anni 1822 ordinatum erat, sede vacua in Collegio medico, ab illo duos candidatos proponendos esse (Art. 317), id simul ita mutatum est, ut nunc, sede vacua, Collegium hoc statim cum Senatu conmunicare debeat, qui novum eligat socium 103).

Haec sunt breviter fata Collegii, quod tam utile se praestitit Groninganae civitati, nec non antea hujus Dominiorum incolis. Ab hoc enim Collegio repetenda est maxime totius rei medicae emendatio, quali haec civitas jam gaudebat per saeculum fere, dum rure in ceteris Provinciae tractibus, urbi non subjectis, omnis desiderabatur cura medicinae publica. Quanta utilitas ex hoc Collegio in civium salutem redundaverit, docent satis leges politico-medicae urbanae allatae, quae omnes plerumque hujus Collegii consilio, quin monitu et auxilio sunt constitutae; hoc testantur cura et opera, quas gessit in morbis inprimis epidemicis arcendis, veluti, ne plures memorem,

---

103) *S. D. P.* 6 Oct. 1828.

anni 1826, cujus epidemiae historia Collegii, una cum Magistratu conspirantis providentiae specimen praebuit egregium et perenne.

Inter tot salutares, quos Collegium medicum tulit fructus, hoc loco silentio praeterire non possum, curam meliorem submersorum, qualem, vel inprimis Collegii admonitione, habere incepit, anno 1769, Magistratus, decreto publicato 104), in quo interpretatus est quemdam Articulum, obvium in antiquo praecepto anni 1685 sui ministri, *Waterschult* dicti, et de hujus officio submersos visitandi agentem 105), ad errorem et abusum demendum, quibus iste Articulus ansam dederat. Cum nempe in hoc Articulo vetaretur submersum auferre, antequam ille minister advocatus esset et cadaver submersi inspexisset, multi in opinione versabantur et ita illud intellexerunt, ac si non liceret submersum ex aqua educere

---

104) *S. D. P.* 7 Febr. 1769.

105) *Instructie voor des Stads Pander als Waterschulte in Groningen*, 4 Jun. 1685, Art. 37: „Wanneer jemandt in het waeter verdronken is, sal niemandt het doode ligchaem mogen wegh brengen, voor en aleer de Pander, als Waeterschulte, daer bij geroepen is, ende hetzelve ligchaem *gevisiteerd* ende daer van rechte *informatie* genomen heeft, enz."

et servare. Hanc vulgi opinionem jam omnino erroneam esse declaravit Magistratus, cum solummodo tales ante oculos habuerit submersos, qui revera mortui essent et putredinis signa offerrent, et hanc ob causam e contrario apprime exhortatus est ad submersos non modo ex aqua extrahendos, sed etiam quantocius ad aedes hasce vel illas transferendos, et statim Medicum aut Chirurgum advocandum, aut interim jam medelam idoneam administrandam; addidit, se mulcta poeniturum esse hospites, qui submersos aedibus suis recipere nollent, at praemium daturum iis, qui primum submérsum ex aqua eduxerint et Medicum aut Chirurgum vocaverint, et ex ipso civitatis aerario sumtus, ad submersos servandos factos, soluturum esse, sin ab illis non restitui possent 106). Anno 1785 hoc edictum de submersis servandis etiam in Provinciae regionibus, urbi subditis, proclamatum est 107). — Verum adeo inveteraverat illa vulgi opinio, ut diu duraverit, quin omnino

---

106) Id ultimum accuratius explicatum est *S. D. P.* 7 Oct. 1769.

107) *S. D. P.* 16 Sept. 1785.

illa liberaretur. Tanti hinc etiam hanc rem curae cordique habuit Magistratus, ut vel integrum Caput in recentiori norma politica urbana anni 1822 occurrat, quod praecepta de auxilio submersis praestando continet (Cap. XIV). Hic non solum licere, sed oportere affirmat, submersum ex aqua in aedes vicinas ducere, aut si fieri possit, ilico in Nosocomium Academicum (ubi jam integer apparatus ad submersos asphycticos in vitam revocandos prostat); aucta mulcta hospitum submersum repudiantium, et remuneratione eorum, qui submersum servaverint et auxilium medicum invocaverint. Praeterea caupones et nautae (*Trekschippers*) admoniti, palam exponere in aedibus aut navibus libellum, editum a Sociate Amstelodami ad submersos servandos constituta. — Gaudeamus itaque hodie de legum praestantia et humanitate sincera ad miseros tales servandos et curandos.

CAPUT VII.

DE PHYSICO ET ARCHIATRO.

Quando et quinam primus a Magistratu Groningano dignitate Physici urbani fuerit ornatus, jam notavi: anno scilicet 1764, Clar. G. VAN DOEVEREN, Medic. Professor (p. 43). Erat quondam illud munus in multis civitatibus usitatum et satis illustre, ita ut Medici eruditissimi, praestantissimi, nec sine remuneratione haud parca 108), hoc honorarentur, et hunc in finem institutum, ut Magistratui adstarent auxilio et judicio, praesertim in rebus medico-forensibus. Clar. VAN DOEVEREN hoc duplex inprimis officium mandatum: 1°. toties, quoties id requireretur, cadavera inspec-

---

108) Haec Physici Groningani erat 100 *zilv. dukatons.*

tandi et visa reperta ad forum, justitiae causa, deferendi 109); 2°. Obstetrices admissas earumque alumnas arte obstetricia instituendi. Hoc Physici munere deinceps condecorati sunt Clar. P. CAMPER anno 1771 et Doct. M. VAN GEUNS 1773, cui primum anno sequente est concessum adsidere Collegio medico 110), et tandem Doct. M. J. BUSCH anno 1776, qui hunc titulum cum munere Institutoris, uti vidimus, ad vitae finem gessit, muneris parte priore jam prius sublata, cum, mutata rei publicae forma, urbs judiciaria sua potestate orbaretur. Secundum hodiernam regiminis constitutionem de examine medico-forensi lege 1818 ita decretum est 111): illud fore instituendum Medicinae Doctoribus et Chirurgis forensibus, jure jurando adstrictis, et hunc in finem cuivis Provinciae foro adjungendis; — sed huc us-

---

109) Antea ad talia publica negotia cadavera inspectandi, aegros visitandi etc., Senatus jam vocare solebat Medicinae Professores et Doctores, uti patet ex *S. D.* 5 Apr. 1728.

110) Huic etiam anno 1775 adjunctus est Chirurgus WOLTGRAFT, ut pro honorario annuo *f* 100 Physico opitularetur in Lectionibus obstetriciis et examine cadaverum forensi, et praeterea urbis captivos tonderet et visitaret, si illis quid accideret mali. Vid. *S. D.* 20 Nov. 1775.

111) *Decret. Reg.* 15 Jan. 1818.

que tales desiderantur, et omnes Medici et Chirurgi, pro arbitrio, illo munere funguntur aut fungi coguntur, quod ipsis et foris non raro parit difficultates, cum experientia et peritia saepe careant et, nisi re, forma peccent, ob occasionis infrequentiam et materiae subtilitatem.

Praeter Physicum aderat etiam Archiater urbis et regionum urbi subditarum (*Archiater van de stad Groningen en alle hare onderhoorige Districten*). Hoc *Archiatri* titulo jam sub Imperio Romano honorati sunt Medici meritissimi Romae aliarumque urbium 112), et postea ita distingui solebant Medici Regum et Principum, dein etiam Decanus Facultatis medicae aut Senior Collegii medici. Dignitatem hanc, honorificam magis quam onerosam, primum Senatus Groninganus anno 1775 donavit Doct. M. VAN GEUNS, jam etiam Physico ur-

---

112) NERO suum Medicum ANDROMACHUM seniorem primum Archiatrum nominavit, et mox etiam in plerisque urbibus Romanis certus numerus Medicorum ita distinctorum exstitit. Prioris successores dein *Archiatri palatini*, Archiatri vero urbium *populares* dicti sunt. Pluribus gaudebant prae aliis Medicis privatis privilegiis. Vid. J. F. K. HECKER, *Geschichte der Heilkunde*, B. II, Berl. 1829.

bis, cum Medicus ille celebris Professoris munus, sibi in Academia Harderovicensi oblatum, renuntiavisset: »ut, quemadmodum in decreto Senatus legitur, Magistratus testaretur, quanti aestimaret merita eximia hujus Medici peritissimi et civis dignissimi, qui non solum fama sua in orbe erudito civitatis erat ornamentum egregium, sed etiam insigni sua eruditione in arte medica et obstetricia tantum saluti publicae afferebat emolumentum 113)."

Archiater gaudebat honorario eodem ac Physicus et praeterea libera a sumtibus sede in tribus aedibus sacris principibus urbis. Suum officium erat Magistratui consilio adstare in omni re medica, generatim, quod sanitati publicae et morbis popularibus avertendis et curandis, medicinae rure et apud pauperes rite factitandae prodesse posset, et inprimis, in omnibus casibus singularibus, in quibus regimen civile aut forum illud postularet, praeter ea, quae munus Physici urbani, quo fungebatur, jam complectebatur, et nulla re excepta, quam quae ad Collegii medi-

---

113) *S. D.* 9 Sept. 1775.

ei provinciam pertinebat. — Cum autem Doct. VAN GEUNS Professoris munus in Academia Geldriae, iterum anno 1776 sibi oblatum, nunc acciperet, Archiatri dignitas, ad tempus modo huic Viro donata, cessavit, usque ad annum 1791, quo Doct. BUSCH hoc honorabatur, iisdem conditionibus ac Doct. VAN GEUNS, et quoque simili occasione, qua nempe ille non minus celebris Medicus, ad Medicinam docendam Harderovicum vocatus, hanc vocationem non obsecutus est. Haec dignitas vero tandem, jam durante vita Viri, quem adeo honoravit Magistratus veneratique sunt cives Groningani, post rerum publicarum mutationem omnino cessavit 114).

TANTUM.

---

114) De Physico et Archiatro urbis Groningae egit etiam H. O. FEITH in Annot. cit. p. 208 seqq.

THESES.



I.

In aetate infantili cerebrum, in adulta pectoris organa, in senili abdominis viscera prae ceteris activa sunt et male adficiuntur. Hinc morbi, singulis his aetatibus proprii, praecipue explicentur.

II.

Arthritis et Rheumatismus, pro diversae naturae morbis habendi, variam saepe quoque medelam postulant.

THESES.

III.

Saepe scrofulosis infantum et dein phthisis pulmonum causam agnoscunt in arthritide parentum.

IV.

In exanthematicorum febrilium morborum initio emeticum interdum valde prodesse potest; ast quum diarrhoea semper evitanda, radix Ipecacuanhae Tartriti potassae stibiato est praeferenda.

V.

De virtute prophylactica omnium medicaminum contra scarlatinam, licet multorum medicorum testimoniis confirmata, mihi adhuc videtur dubitandum.

VI.

Ad taeniam expellendam, cum nonnullis medicis recentioribus laudanda censeo remedia

oleosa, inprimis oleum Ricini, postquam prius Opiatis remediis taeniae stupor fuerit productus.

VII.

Si in capitis morbis inflammatoriis applicentur fomentationes frigidae, semper multa opus est circumspectione.

VIII.

Nonnullarum haemorrhagiarum uterinarum, durante partu, tutissimum et fere unicum praesidium est foetus eductio.

IX.

In quavis imminuta actione virium expellentium Naturae, postquam in pelvim satis descenderit caput, mechanica forcipis actio harum vices explere potest.

THESES.

X.

Versionem in caput, si institui possit, semper versioni in pedes praeferendam esse credo.

XI.

Ut medicamenta in Medicina, ita instrumenta in Chirurgia, quo simpliciora, eo meliora.

XII.

In ossium fractura quacunque, ut conjungantur, illa partis positio semper est eligenda, qua omnes in illam agentes musculi sunt in statu relaxationis maximae.

